

SCRIPTA

Numéro Scripta : 5789

Bénéficiaire(s) : Rouen, Saint-Ouen (abbaye)

Genre d'acte : notice

Authenticité : non suspect

Datation : ...1275...

Action juridique : règlement conflit

Langue du texte : latin

Analyse

Notice relatant l'arrangement de la longue controverse entre les moines de Saint-Ouen de Rouen et Hubert de Bova sur des pressoirs de Sainte-Geneviève. Hubert ou son héritier doit faire tous les ans cent fosses dans trois arpents de vigne que les moines de Saint-Ouen possèdent à Sainte-Geneviève[-lès-Gasny], s'occuper des vignes à ses frais mais reçoit tous les ans six deniers pour acheter une serpe et quatre deniers pour des gants. Les moines restent chargés de tous les autres frais. Hubert prendra un setier sur chaque muid de vin récolté. Chaque journée qu'il passera à fourir la vigne, il recevra le salaire des autres ouvriers.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, Passy Louis, *Mémoires et notes de M. Auguste Le Prévost pour servir à l'histoire du département de l'Eure*, Évreux, Hérissey, 1869, t. 3, p. 115-116.

Dissertation critique

Datation proposée par A Le Prévost, voir DELISLE/PASSY, t. 3, p. 115.

Texte établi d'après a

Notum sit omnibus tam presentibus quam futuris, quod controversia que inter monachos Sancti Audoeni Rothomagensis et Hubertum de Bova super torcularibus de Sancta Genofeva longuo tempore versata fuerat, hunc finem sortita est. Videlicet quod monachi Sancti Audoeni medietatem totius vini, undecumque ad torcularia veniat, in pressuragiis et retailliagiis habebunt et Hubertus alteram partem, et de expensa que in facturis torcularium facta fuerit monachi medietatem dabunt et Hubertus alteram ; in nemoribus Sancti Audoeni si forte ligna ibidem ad torcularia facienda idonea reperiri potuerint capientes ; si non, de communi expensa sibi comparabunt. Dictus autem Hubertus aut heres suus ex quo in torcularibus retaillagia fieri incipient, duos panes, pisa, lardum et salem, usque ad ultimum diem cum monacho aut cum famulo suo habebit, et in granchia de Wadeniaco unum modium frumenti ad mensuram Vernonis singulis annis ; frumentum vero tale fuerit quale monachus ad granarium Sancti Audoeni faciet adduci, sustracto ei dimidio modio grossi bladi quem antea habere consueverat. In tribus vero arpentis vinee, quam in villa Sancte Genovefe monachi habent ; Hubertus aut heres suus singulis annis centum fossas faciet, et talliabit et plicabit ad suum coustantementum, et propter hoc idem Hubertus habebit annuatim sex denarios ad sarpam emendam, et iijor denarios ad wantos. Monachi vero omnia alia coustantenta perficient. De unoquoque modio vini quod in vinea illa creverit, Hubertus unum sextarium vini habebit, et omnibus diebus quibus operarii ad vineam illam fodiendam et refodiendam intenti fuerint, Hubertus cum eis tanquam famulus fuerit, mercedem unius operarii habiturus. De esna (ou esva) vero predicte vinee monachi primam talliam habebunt, et reliquie tanquam de aliis vineis inter eos per medium dividentur. Omnibus autem diebus in quibus ex submonitione monachi alicubi eundi iter arripuerit, duos panes tanquam famulus habebit, aut cum monacho si monachus voluerit manducabit. De

submonitionibus que ad famulatum suum pertinent nichil habebit. Quando vero Hubertus aut heres suus ad corveias S. Audoeni fuerit, videlicet ad aratra, ad segetum saclagia, ad fenagium, ad summagia, ad feni cariagia et ad prata mensuranda duos panes tanquam famulus habebit. Pontem siquidem de Hameilcon Hubertus de nemoribus Sancti Audoeni ad suum costamentum faciet, et propter hoc unam cariatam feni vel duas bigatas cum bigis melioribus habebit, et de pratis Sancte Genovefe tantum les soustreis, et ad fenum colligendum et ad ducendum tanquam famulus fuerit. Ex primo vero die quo falcatores in Hameilcon falcare incipient, famulus jamdicti Huberti cum famulo monachi usque ad ultimum diem ad fenum custodiendum ad costamentum monachi fuerit, et medietatem loge que de feno facta fuerit, aut decem et octo denarios, si monachus voluerit, habebit. De pratis vero que sunt inter Sanctam Genovefam et Becherel habebit Hubertus unum arpentum mensuratum de jussione monachi ad equum suum pascendum, et residuum herbe monachus faciet custodiri, et propter hoc quamdiu equus Huberti in prato illo pascet, monachus Hubertum et equum suum in negotiis suis ubicunque voluerit ducere poterit. Quando vero apud S. Genovefam monachus forestagium suum faciet colligi Hubertus aut heres suus ibidem fuerit, et vadimonia si opus fuerit capiet, et quatuor denarios habebit, et de forestagio suo quietus erit. Ad Natale vero et ad Pascha Hubertus vel heres suus ante altare Sancte Genovefe stabit et panem recipiet et unum panem tanquam famulus habebit, et in Purificacione Sancte Marie candelas recipiet et custodiet et unam candelam habebit. In nemore vero de Garieto, in quo nullus aliis consuetudinem habet, Hubertus tantummodo ad suum ardere mortuum nemus habebit, et in aliis nemoribus consuetudinem quam communis terra habet per famulatum suum liberam et quietam ; et si in predicto nemore vel in aliis Hubertus aut famulus suus ad forifactum inventus fuerit, juxta patrie consuetudinem emendabit. Post Natale vero, quando monachus apud Sanctam Genovefam placita sua de nemoribus tenebit, sepedictus Hubertus aut heres suus monachis et famulis suis unum pastum faciet secundum consuetudinem aliorum prefectorum. Abbas siquidem et monachi Sancti Audoeni concesserunt Huberto et heredi suo totum hereditagium suum de feodo Sancti Audoeni, salvis hiis consuetudinibus que superius enumerate sunt, quiete et pacifice tenendum et possidendum. Et ne hec forte emergenti posterorum malignitate possent in irritum revocari, dictus Hubertus et Ricardus, filius suus, in capitulo S. Audoeni juraverunt se predictas conventiones de cetero firmiter servaturos, et ad majorem confirmationem abbas et monachi presens scriptum sigilli capituli sui munimine fecerunt roborari. Hujus autem rei testes legitimi ex parte monachorum subscribuntur : Ricardus, capellanus comitis Willelmi ; Robertus de Bodevilla ; Wauchelin de Novo vico ; Jolardus de Sotevilla ; Benedictus, Robertus Catel, Osbennus filius David, Renoudus Malaherba, Willelmus, frater ejus, Junet de Ros, Hugo de Paveleio, Godefroi de Wanceio, Willelmus Pistor, Rog. Tonnelier, Robertus de Columbeles, Willelmus de Ros, Willelmus de Mondrevilla, Ric. frater ejus, Ricardus de Feugeroles ; ex parte Huberti : Guido de Rocha, Paganus de Rocha, Mattheus de Crevecuer, et multis aliis.